



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De tentatione Reyneri successoris eiusdem, cap. 50

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

ita istam: Si rediero ad S. Andream, concanonici mei, quoties in porticu ecclesie sue sedebunt, ipsi aduersus me loquentur, me iudicantes, & de salute mea disputantes: noctibus vero, quando sedebunt ad ignem, & vacabunt potationibus, ero psalmus eorum. Sicque Dei misericordia ad mentem reductus, & a se confortatus, monachus effectus est, & non multo post in bona contritione defunctus, migravit ad Dominum.

## CAPVT L.

**R**einerus, iam dictae Ecclesie sancti Andreae Scholasticus, & fratris Godefridi successor, cum post eius mortem fieret apud nos nouitius, in tantum cepit variis tentationibus vexari & turbari, ut pusillanimis effectus, die quadam Domino Geuardo Abbati diceret: Non possum hic diutius manere, quia nec ordinem valeo diutius sustinere. Quem cum interrogasset, quod vultis ire? Respondit ille: Ad praebendam meam oportet me redire. Tunc Abbas, quasi vir prudens, quandam seueritatem simulans cepit (nescio ad quem) clamare: Afferte mihi securim: cui cum diceret nouitius: Quid debet securis? respondit, ut praecidantur pedes vestri. Credite mihi, magis volo vos sine pedibus semper pascere, quam vos sinam abire, & confundere domum nostram. Tunc ille subridens ait: Melius est ut maneam, sicque per verba iocosa cessauit tentatio satis dura. APOLLON. Ut considero, nouitius facile tentatur, & facile sanatur. CAESARIUS: Hoc plenius scies in sequenti capitulo.

## CAPVT LI.

**N**ouitius quidam cum in Hemmenrode satis tranquille annum peregisset probationis, & voluntate stabilitatis expressa in capitulo, radendus esset in monachum, atque is, qui cum radere debebat, rasorium in corrigia corrigeret, diabolus eadem hora sic iuuenem contristauit, sicque pusillanimen reddidit, ut mutato animo rasorem non admitteret. Quo viso, dominus Hermannus Abbas loci sanctae Mariae, tunc ibidem Prior, simulata quadam iocunditate accurrit, collum iuuenis utroque brachio strinxit, &

quia